



C<sup>A</sup>rolus filius fuit illustrissimi principis Ernesti Marchionis Badensis & Hachburgensis. Is in omnis generis uirtutibus educatus, ob egregiam naturam in principem strenuum euasit. Itaque pater eum prae ceteris filijs unicè dilexit, atq<sup>z</sup> Electori Palatino in curiam transmisit. Vbi etiam adolescēs futurā indolis multa indicia dedit. Cum autem postea Albertus senior frater obiūset, Ernestus pater suam ditionem adhuc uiuens inter Bernhardum & Carolum filios diuidere statuerat, ne formes aliquis discordiarum oriretur. Verū Bernhardus antequam administrationem adiūset, & ipse sine liberis decessit. Itaque Ernesto patre optimo die sexto Februarij, Anno post redemptionem mundi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio uita functo, Carolus unicus filius in tota ditione succēsit, atque magna gratulatione à subditis suscep̄tus fuit. Erat Carolus eo tempore adolescens circiter uigintiquinque annorum. Itaque is uxorem duxit Kūnigundam, ex illustrissima familia Brandenburgensi prognatam, Cazimiri filiam, & Alberti strenui pugnatoris sororem, ex qua Albertum filium progenuit. Cum hoc modo fœliciter rebus præasset, nec se uicinorum bellis immiseret, patris exemplum secutus, multi subditorum efflagitarunt, ut doctrinam Euangelij publicē susciperet, atq<sup>z</sup> id, quod pater inchoasset, finiret.